

i

Nstantis autem aduersæ ualeitudinis signa com-
plura sunt: in quibus explicandis non dubita-
bo authoritate antiquorum uirorum uti, maxi-
mèq; Hippocratis: cum recentiores quoq; medi-
ci, quannus quædam in curationibus mutarint:
tamen hæc illum optime præfagisse fateantur.
Sed antequam dico quibus præcedentibus mor-

borum timor subsit: non alienum uidetur exponere, quæ tempora
anni, quæ tempestatum genera, quæ partes ætatis, qualia corpora ma-
xime tuta, uel periculis opportuna sint: quod genus aduersæ ualeitudi-
nis in quoq; timeri maxime possit. Non quo non omni tempore, in om-
ni tempestatum genere, omnis ætatis, omnis habitus hominum per om-
nia genera morborum & ægrotent, & moriantur: sed quod fre-
quentius, tamen quædam eueniant. Ideoq; utile est scire unūquenq;
quid, & quando maxime caueat.

Quæ anni tempora, quæ tempestatum genera, quæ partes ætatis, qua-
lia corpora uel tuta, uel morbis oportuna sunt: & quod ualeitudinis
genus in quoq; timeri possit. Caput. I.

i

Citur saluberrimum uer est: proxima deinde ab
hoc hyems: periculosior æstas. autumnus longe peri-
culosissimus. Ex tempestatibus uero optima æquales
sunt, siue frigida, siue calida: pessimæ, quæ uariant
maxime. quo fit ut autumnus plurimos opprimat.

Nam ferè meridianis temporibus calor: nocturnis atq; matutinis, si-
mulq; etiam uespertinis frigus est. Corpus ergo & æstate, & subinde
meridianis caloribus relaxatum, subito frigore excipitur. Sed ut eo tē-
pore id maxime fit: sic quodocunq; euenit, noxium est. Vbi æquali-
tas aut est: tamen saluberrimi sunt sereni dies: meliores pluuij, quàm
tantum nebulosi, aut nubili: optimiq; hyeme, q̄ omni uento uacant: æsta-
te, quibus Fauonij perflant. Si genus aliud uentorū est, salubriores sep-
tentrionales, q̄ subsolani, uel austri sunt. sic tamē ut hæc interdum re-
gionum sorte mutantur. Nam ferè uentus ubiq; à mediterraneis re-
gionibus ueniens salubris, à mari grauis est. Neq; solū in bono tempesta-
tum habitu certior ualeitudo est: sed priores morbi quoq; si qui inci-
derunt, leuiores sunt: & promptius finiuntur. Pessimum ergo cælū
est, q̄ ægrum fecit: adeo ut in id quoq; genus, quod natura peius est in
Aurelij Cor. b iij